

Universitätsbibliothek Wuppertal

L. Annæi Senecæ Philosophi Opera, Qvae Exstant Omnia

Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>

Antverpiæ, 1615

Liber primus

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-466](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-466)

L. ANNÆI SENE CÆ

A D LVCILIVM

NATVRALIVM QVÆSTIONVM

LIBER PRIMVS.

P R Æ-
FATIO.

QVANTVM inter philosophiam interest, Lucili virorum B optime, & ceteras artes: tantum interesse existimo in ipsâ philosophiâ, inter illam partem quæ ad homines, & hanc quæ ad deos spectat. Altior est hæc, & animosior: multum permisit sibi: non fuit oculis contenta. maius esse quiddam suspicata est, ac pulchrius, quod extra conspectum natura posuisset. Denique tantum inter duas interest, quantum inter Deum & hominem. Altera docet, quid in terris agendum sit: altera, quid agatur in cælo. Altera errores nostros discutit, & lumen admouet, quo discernantur ambigua vitæ: altera multò hanc supra caliginem in quâ volutamur excedit, & è tenebris ereptos, illò perducit, vnde lucet. Equidem tunc naturæ rerum gratias ago, cum illam non ab hac parte video, quæ publica est, sed cum secretiora eius intraui: cum disco, quæ^a vniuersi materia sit, ^b quis auctor, aut custos: ^c quid sit Deus, ^d totus in se intendat, an ^e ad nos aliquando respiciat: ^f faciat quotidie aliquid, an semel fecerit: ^g pars mundi sit, & an mundus: ^h liceat illi hodieque decernere, & ex lege factorum aliquid derogare; an maiestatis deminutio sit, & confessio erroris, mutanda fecisse. Necesse est enim ei eadem placere, cui nisi optima placere non possunt: nec ob hoc minùs liber & potens est. ipse enim est necessitas sua. Nisi ad hæc admitterer, non fuerat operæpretium nasci. Quid enim erat, cur in numero viuentium me positum esse gauderem? An vt ⁱ cibos & portiones percolare? vt hoc corpus caussarium ac fluidum, periturumque nisi subinde impleatur, farcirem, & viuerem ægri minister? vt mortem timerem, cui omnes nascimur? Detrahe hoc inæstimabile bonum, non est vita tanti, vt sudem, vt æstuem. O quàm contempta res est homo, nisi supra humana se erexerit! Quamdiu cum affectibus colluctamur, quid magnifici facimus? etiam si superiores sumus, ^j portenta vincimus. Quid est, cur suspiciamus nosmetipsos, quia dissimiles deterrimis sumus? non video quare sibi placeat, qui robustior est inualetudinario. Multum interest inter vires & bonam valetudinem. Effugisti vitia animi: non est tibi frons ficta, nec in alienam voluntatem

COMMENTARIVS.

a. VNIERSI MATERIA.] *Illâ prima.*
b. QVIS AVCTOR.] *Deus, siue Ratio.*
c. TOTVS IN SE INTENDAT.] *Vt Epicuræi. qui Deum nihil alienum agere, sibi vacare & acquiescere tantum volebant.*
d. AD NOS ALIQVANDO.] *Imò semper, & opus suum assiduâ, & nullâ curâ, curat.*

e. FACIAT COTTIDIE.] *Novas species minimè: semel in ortu mundi fecit.*

f. PARS MVNDI SIT.] *Anima ipsa illa Mundi.*

g. AN MVNDVS.] *An & totus (vt Stoicis) veniat in hoc nomen.*

h. PORTENTA VINCIMVS.] *Iram, libidinem, & sædos affectus.*

i. NISI

A tatem sermo compositus, nec cor inuolutum, nec avaritia, quæ quidquid omnibus abstulit, sibi ipsi negat: nec luxuria pecuniam turpiter amittens, quam turpius repararet: nec ambitio, quæ te ad dignitatemⁱ nisi per indigna non ducet. Nihil adhuc consecutus es. multa effugisti: te nondum. Virtus enim quam affectamus, magnifica est. non quia per se beatum est, malo caruisse, sed quia animum laxat, ac præparat ad cognitionem cælestium, dignumque efficit, qui in consortium Dei veniat. Tunc consummatum habet plenumque bonum sortis humanæ, cum, calcato omni malo, petit altum, & in interiorē naturæ sinum venit. Tunc iuuat inter sidera ipsa vagantem, diuitum pauimenta ridere, & totam cum auro suo terram: non illud tantum dico quod egeffit, & signandum monetæ dedit, sed & illud quod in occulto seruat posterorum avaritiæ. Nec potest antè contemnere porticus, & lacunaria ebore fulgentia,^k & tonsiles siluas, &^l derivata in domos flumina, quàm totum circumeat mundum, & terrarum orbem supernè despiciens, angustum, & magnâ ex parte opertum mari, etiam quâ exstat, latè squalidum, & aut vstum aut rigentem. sibi ipse ait: Hoc est illud punctum, quod inter tot gentes ferro & igni diuiditur? O quàm ridiculi sunt mortalium termini. Ultra Istrum Dacus non exeat: ^m Strymo Thracas includat: Parthis obstet Euphrates: Danubius Sarmatica ac Romana distermine: Rhenus Germaniæ modum faciat: Pireneus medium inter Gallias & Hispanias iugum extollat: inter Ægyptum & Æthiopias harenarum inculta vastitas iaceat. Si quis formicis det intellectum hominis, nonne & illæ vnā aream in multas prouincias diuidunt? Cum te in illa verè magna sustuleris; quotiens videbis exercitus subrectis ire vexillis, & quasi magnum aliquid agatur, equitem modò vteriora explorantem, modò à lateribus affusum, libebit dicere:

It nigrum campis agmen.

Formicarum iste discursus est, in angusto laborantium. Quid illis & nobis interest, nisi exigui mensura corpusculi? Punctum est istud in quo nauigatis, in quo bellatis, in quo regna disponitis: minima, etiam cum illisⁿ vtrunque Oceanus occurrit. Sursum ingentia spatia sunt, in quorum possessionem animus admittitur: at ita minimum secum ex corpore tulit, si sordidum omne deterfit, & expeditus leuisque ac contentus modico emicuit. Cum illa tetigit, alitur, crescit: ac velut vinculis liberatus, in originem redit. Et hoc habet argumentum diuinitatis suæ, quod illum diuina delectant: nec vt alienis interest, sed vt suis. Securè spectat occasus siderum atque ortus, & tam diuersas concordantium vias. Obseruat vbi quæque stella primum terris lumen ostendat, vbi culmen eius summum, quâ cursus sit, quousque descendat. Curiosus spectator excutit singula, & quærit. Quid nī quærat? Scit illa ad se pertinere. Tunc contemnit domicilij prioris angustias. Quantum enim est, quod ab vltimis littoribus Hispaniæ vsque ad Indos iacet? Paucissimorum dierum spatium, si nauem suus ventus impleuit. At illa regio cælestis per triginta annos^o velocissimo sideri viam præstat, nusquam resistenti, sed æqualiter cito. Illic demum discit, quod diu quæsiuit: illic incipit Deum nosse. Quid est Deus? Mens vniuersi.^p Quid est Deus? Quod vides totum, & quod non vides totum. Sic demum magnitudo sua illi redditur, quâ nihil maius excogitari potest, si solus est

D omnia, opus suum & extrâ & intrâ tenet. Quid ergo interest inter naturam Dei, & nostram? Nostri melior pars, animus est: in illo, nulla pars extra animum. totus ratio est.

Cum

^{i.} NISI PER INDIGNA.] *Vt blandiaris, inferuias, corrumpas.*

^{k.} ET TONSILES SILVAS.] *Quidam editi, pensiles: quod penè est vt probem. Adi epist. cxxii.*

^{l.} DERIVATA IN DOMOS FLUMINA.] *Siue ad Euripos in hortis; siue potiùs in ipsa membra domus, ad varios vsus aut delectationes, etiam in triclinia. Epist. c. vide.*

^{m.} STRYMO THRACAS.] *Mens, Astimunsamothracas: nec longè abeunt aliq. Fuerit, Æmus*

mons Thracas. Nam ea veritas, quâ longissimè Thracia ad vtramque Mæsiā porrigitur, Aemo continuo monte disparatur. At Strymon diuidit quidem, sed exiguâ parte, à Macedoniâ.

^{n.} VTRIMQUE OCEANVS.] *Pincianus faciebat, vndecumque Oceanus. Cur enim vtrunque tantum? Sed causam huic dictioni esse docui, Physiol. ii. Dissert. xvii. & nihil igitur mutandum.*

^{o.} VELOCISSIMO SIDERI.] *Saturno.*

^{p.} QUID EST DEVS?] *Hæc omnia explicamus i. Physiol. Diss. viii. & prioribus.*

LL 4

q. SAPIEN-

Cum interim tantus error mortalia teneat, ut hoc quo neque formosius est quidquam, A nec dispositius, nec in proposito constantius, existiment homines fortuitum & casu volubile, ideoque tumultuosum inter fulmina, nubes, tempestates, & cetera quibus terræ ac terris vicina pulsantur. Nec hæc intra vulgum dementia est, ^q sapientiam quoque profectos contigit. Sunt qui putent, sibi ipsis animum esse, & quidem prouidum ac dispensantem singula, & sua, & aliena: hoc autem vniuersum, in quo nos quoque sumus, expers esse consilij, & aut ferri temeritate quadam, aut ^r naturâ nesciente quid faciat. Quàm utile existimas ista cognoscere, & rebus terminos ponere? quantum Deus possit: ^f materiam ipse sibi formet, an datâ utatur: ^t utrûm idea materiæ prius superuenit, an materia ideæ: Deus quidquid vult efficiat, an in multis rebus illum tractanda destituant: & à magno artifice prauè formentur multa, non quia cessat ^s, sed quia ^u id in quo exercetur, sæpè inobsequens arti est. Hæc inspicere, hæc discere, his incumbere, nonne transilire est mortalitatem suam, & in meliorem transcribi sortem? Quid tibi, inquis, ista proderunt? Si nihil aliud, hoc certè sciam, omnia angusta esse. Sed hæc deinde. B

CAP. I. Nunc ad propositum veniam opus. ² Audi quid de ignibus philosophia velit, quos aër transuersos agit. Magnâ vi illos excuti argumentum est, quòd obliqui feruntur, & prærapidâ celeritate. Apparet illos non ire, sed proiici. Ignium multæ variæque facies sunt. ¹⁰ Aristoteles quoddam genus illorum ^x Capram vocat. Si me interrogaueris, quare: prior mihi rationem reddas oportet, quare Hædi vocentur. Si autem, quod commodissimum est, conuenerit inter nos, ne alter alterum interroget, Quid dicit ille? satius erit de re ipsâ quærere, quàm mirari, quid ita Aristoteles globum ignis appellauerit Capram. Talis fuit forma eius, qui, bellum aduersus Perseum Paullo gerente, ^y lunari magnitudine, apparuit. Nos quoque vidimus non semel flammam ingentis pilæ specie, quæ tamen in ipso cursu suo dissipata est. Vidimus circa diui Augusti excessum simile prodigium: vidimus cum ^z de Sciano actum est: nec Germanici mors sine denunciatione tali fuit. Dices mihi: Ergo tu in tantis erroribus es, ut existimes deos mortium signa præmittere, & quidquam esse in terris tam magnum, quod perire mundus sciat? Erit aliud C isti rei tempus. Videbimus, an certus omnium rerum ordo ducatur, & alia alijs ita complexa sint, ut quod antecedit, aut causa sit sequentium, aut signum. Videbimus, an dijs humana sunt curæ; an series ipsa, quid factura sit, certis rerum notis nunciet. Interim illud existimo, huiusmodi ignes existere, aëre vehementius trito, cum inclinatio eius in alteram partem facta est, & non cessit, sed intra se pugnavit. Ex hac vexatione nascuntur trabes, & globi, & faces, & ardores. At cum leuius collisus, & (ut ita dicam) strictus est, minora lumina excutiuntur, crinemque volantis sidera ducunt. Tunc ignes tenuissimi iter exile designant, & cælo producant. Ideò nulla sine huiusmodi spectaculis nox est. non enim opus est ad efficienda ista magno aëris motu. Denique, ut breuiter dicam, eadem ratione fiunt ista, quæ fulmina, sed vi minore. Quemadmodum nubes mediocriter collisæ, fulgurationes efficiunt; ¹¹ maiore impetu pulsæ, fulmina. Aristoteles eiusmodi rationem reddit: Varia & multa terrarum orbis exspirat, quædam humida, quædam sicca, ¹² quædam argentia, quædam concipiendis ignibus idonea. Nec mi-

q. SAPIENTIAM PROFESSOS.] *Epicuræos, & alios.*

r. NATURA NESCIENTE.] *Naturâ brutâ, & non sentiente: ut Strato. Nos Physiol. I. Dissert. V.*

f. MATERIAM IPSE FORMET.] *Ita hercules. sed in aliâ mente Stoici, & plerique omnes philosophi: Deo scilicet coeternam esse.*

t. VTRUM IDEA.] *Vide super hoc loco II. Physiol. Dissert. III.*

u. ID IN QVO EXERCETVR.] *Id est Materia. in quam causam malorum & defectuum reijciebant. Explico Physiol. I. Dissert. XIV.*

CAP. I. X. CAPRAM VOCAT.] *Non*

ipse primus, sed ante eum alij, & vulgò, ut bene hic Muretus. Quare autem Capra? dubitat Seneca, & transit: putant, vel à barbulâ, quam pendentem præfert; vel quia saltant, & locum lasciue mutant, ut capræ.

y. LUNARI MAGNITVDINE.] *Illo bello nihil tale apparuisse equidem lego: sed ipsam Lunam defecisse, & id triste Macedonibus habitum, Linius & Plutarchus tradunt. An alij, si fortè, non veram hanc Lunam fuisse dixerint? An spectat ad Senecam, quod in Iulio Obsequente est, hoc bello: Lauinij fax ardens in cælo visa?*

z. DE SEIANO ACTVM.] *In Senatu mors ei decreta.*

a. ALIMEN-

Arum est, si terræ omnis generis & varia euaporatio est: cum in cælo quoque non vnus appareat color rerum, sed acrior sit caniculæ rubor, Martis remissior, Iouis nullus, in lucem puram nitore perducto. Necesse est ergo in magnâ copiâ corpusculorum, quæ terræ eiectant, & in superiorem agunt partem, aliqua in nubes peruenire^a alimenta ignium, quæ non tantum collisa possint ardere, sed etiam afflata radiis solis. Nam apud nos quoque, stramenta sulphure aspersa, ignem ex intervallo trahunt. Veri ergo simile est, talem materiam intra nubes congregatam facile succedi, & maiores minoresve ignes exsistere, prout illis fuit plus aut minus virium. Illud enim stultissimum est existimare, aut stellas decidere, aut transilire, aut aliquid illis auferri & abradi: nam si hoc fuisset, iam defuissent. Nulla enim nox est, quâ non plurimæ ire, & in diuersum videantur abduci. Atqui, quo solent, quæque inueniuntur loco: magnitudo sua singulis constat. Sequitur ergo, vt infra illas ista nascantur: & citò intercidant, quia sine fundamento sunt & sede cetrâ. Quare ergo etiam non interdum transferuntur? ^b Quid si dicam stellas interdum non esse, quia non apparent? Quemadmodum illæ latent, & solis fulgore obumbrantur: sic faces quoque transcurrunt etiam interdum, sed abscondit eas diurni luminis claritas. Si quando tamen tanta vis emicuit, vt etiam aduersus diem vindicare sibi suum fulgorem possint, apparent. Nostra certè ætas non semel vidit diurnas faces, alias ab oriente in occidentem versas, alias ab occasu in ortum. Argumentum tempestatis nautæ putant, cum multæ transuolant stellæ. quod si signum ventorum est, ibi est, vbi venti sunt, id est, in aëre, qui medius inter lunam & terram est. In magnâ tempestate apparent, quasi stellæ velo insidentes. Adiuuari se tunc periclitantes existimant¹³ Pollucis & Castoris numine. Causa autem melioris spei est, quod iam apparet frangi tempestatem, & desinere ventos. Aliquando feruntur ignes, non sedent. Gylippo Syracusas petenti, visa est stella super ipsam lanceam constitisse. In Romanorum castris, visa sunt ardere pila, ignibus scilicet in illa delapsis: qui sæpè, fulminum more, animalia ferire solent & arbuta. Sed si minore vi mittuntur, defluunt tantum & insident, non feriunt nec vulnerant. Alij inter nubes eliduntur, alij sereno, si aër ad exprimendum ignem aptus fuit.¹⁴ Nam sereno quoque cælo aliquando tonat, ex eadem causâ, quâ nubilo, aëre inter se colliso. Qui etiam si est lucidior ac siccior, coire tamen & facere corpora quædam similia nubibus potest, quæ percussa reddant sonum. Quandoque igitur fiunt trabes, quandoque¹⁵ clypei, & vastorum imagines ignium, vbi in talem materiam incidit similis causa, sed maior.

^a. ALIMENTA IGNIVM.] *Cælestium bus ali. In Physiol. II. Dissert. XIII.*
 ignium. nam ita Stoici, sidera & stellas vapori- ^b. QUID SI DICAM.] *Malim, dicas.*

ABSTINEO, Lector, & calamus pono, illum tuis commodis quadraginta iam annos operatum. Vtinam, quod volui, fecerim! sed & sic mihi debes, quia volui. Alij alia; mihi quæ ad vitam & mores, quæ scientiam cum prudentiâ haberent, quæ sapientiam, placuisse fateor, & pro ingenij copiâ produxisse. Ultra vector: à quo? quem sequi & obsequi prima sapientia est, Deo. Valetudinem fregit, & diu labentem impetu abiecit: pareo, & scribere desino, non benè tibi velle. Tu mihi, & salve.

Videamus

11. Videamus nunc, quemadmodum fiat is fulgor, qui sidera circumnectit. Memoriae A
proditum est, ¹⁶ quo die diuus Augustus urbem, ex Apolloniâ feuersus, intrauit, cir-
ca solem visum coloris varij circulum, qualis esse in arcu solet: hunc Græci Halo vocant,
nos dicere Coronam aptissimè possumus. Quemadmodum fieri dicatur, exponam.
Cum in piscinam lapis missus est, videmus in multos orbes aquam discedere, & fieri
primùm angustissimum orbem, deinde latiore, ac deinde alios maiores, donec euane-
scat impetus, & in planiciem immotarum aquarum soluatur. Tale quiddam cogitemus
fieri etiam in aëre. cum spissior factus, plagam sentire potest, lux solis aut lunæ vel cuius-
libet sideris incurrens, recedere illum in circulos cogit. Nam humor, & aër, & omne
quod ex ictu formam accipit, in talem habitum impellitur, qualis est eius quod impel-
lit. Omne autem lumen rotundum est: ergo & aër in hunc modum percussus lumine,
exibit. Ob hoc tales splendores Græci Areas vocauere: quia ferè terendis frugibus loca de-
stinata sunt rotunda. Nos autem non existimemus istas siue areas, siue coronæ sint, in
vicinia siderum fieri. Plurimum enim absunt, quamuis cingere ea & coronare videan- B
tur. Non longè à terrâ fit talis effigies: quam visus noster solitâ imbecillitate deceptus,
circa ipsum sidus putat positam. In vicinia autem solis & stellarum nihil tale potest fie-
ri: quia illis æther tenuis est. Nam formæ crassæ demum spissisque corporibus imprimi
solent: in subtilibus non habent vbi consistent, aut hæreant. In balneis quoque circa lu-
cernam tale quiddam adspici solet, ob aëris densi obscuritatem: frequentissimè autem
austro, cum cælum maximè graue & spissum est. ¹⁷ Nonnumquam paulatim diluun-
tur & desinunt, nonnumquam ab aliquâ parte rumpuntur: & inde ventum nautici ex-
spectant, vnde contextus coronæ perit. Si enim à septentrione discesserit, Aquilo erit: si
ab occidente, Favonius. Quod argumentum est, intra eam partem cæli has fieri coronas,
intra quam venti quoque solent. Superiora autem non habent coronas: quia ne ventos
quidem. His argumentis & illud adice, numquam coronam colligi, nisi stabili aëre &
pigro. Aliter non solet adspici. Nam qui stat aër, impelli & deduci, & in aliquam faciem
fingi potest. Is autem qui fluit, nec feritur quidem lumine. Non enim formatur, nec re- C
sistit: quia prima quæque pars eius dissipatur. Numquam ergo vllum sidus talem sibi
effigiem circumdabit, nisi cum aër erit densus atque imnotus, & ob hoc custodiens in-
cidentem in se rotundi lineam luminis: nec sine causâ. Repete enim exemplum, quod
paulò antè proposui. Lapillus in piscinam aut lacum & aliquam alligatam aquam mis-
sus, circulos facit innumerabiles: & hoc idem non facit in flumine. Quare? quia om-
nem figuram fugiens aqua disturbat. Idem ergo in aëre euenit, vt ille qui manet, possit
figurari: at ille qui rapitur & currit, non det sui potestatem, & omnem ictum venien-
temque formam exturbet. Hæ de quibus dixi, coronæ, cum dilapsæ sunt æqualiter, & in
semetipsis euauerint, significatur aëris quies & otium & tranquillitas. ¹⁸ Cum ab vnâ
parte cesserunt, illinc ventus est vnde finduntur. Si ruptæ pluribus locis sunt, tempestas
fit. Quare id accadat, ex his quæ iam exposui, intelligi potest. Nam si facies vniuersa
subsedit, apparet temperatum esse aëra, & sic placidum. Si ab vnâ parte intercisa est, ap-
paret inde aëra incumbere, & ideo illa regio ventum dabit. At cum vndique & concer- D
pta & lacerata est, manifestum est à pluribus partibus in illam impetum fieri, & inquie-
tum aëra hinc atque illinc affilire. Itaque ex hac inconstantiâ cæli tam multa tentantis,
& vndique laborantis, futura tempestas & ventorum prælium apparet. Hæ coronæ no-
ctibus ferè circa lunam & alias stellas notantur, interdiu rarò: adeo vt quidam ex Græ-
cis negauerint eas omnino fieri, cum illos historiæ coarguant. Causa autem raritatis hæc
est, quod solis fortius lumen est, & aër ipse agitatus ab illo, calefactusque solutior est: lu-
næ autem inertior vis est, & ideo à circumposito aëre facilius sustinetur, quod sidera ce-
tera infirma sunt, nec perumpere aëra vi suâ possunt. Excipitur itaque illorum imago,
& in materiâ solidiore ac minùs cedente versatur. Debet enim aër nec tam spissus esse, vt
excludat ac submoueat à se lumen immissum, nec tam tenuis & solutus, vt nullam ve-
nientibus radiis moram præbeat. Hæc noctibus temperatura contingit, cum sidera con-
lectum aëra luce leui non pugnaciter, nec asperè feriunt, spissioremq̃ue, quàm solet esse
inter-

A interdiu, inficiunt.

¹⁹ At contra arcus in nocte non fit, nisi admodum rarò: quia luna non habet tantum virium, ut nubes transeat, & illis colorem suffundat, qualem accipiunt sole perstrictæ. Sic enim formam arcus discoloris efficiunt: quia aliæ partes in nubibus tumidiore sunt, aliæ submissiores: quædam crassiores, quàm ut solem transmittant; aliæ imbecilliores, quàm ut excludant. Hæc inæqualitas alternis lucem umbramque permiscet, & exprimit illam mirabilem arcus varietatem. Altera causa eiusce modi arcus redditur. Videmus, cum fistula aliquo loco rupta est, aquam per tenue foramen elidi: quæ sparsa contra solem obliquè positum, faciem arcus repræsentat. Idem videbis accidere, si quando volueris obseruare fullonem: cum os aqua impleuit, & vestimenta ²⁰ rediculis diducta leuiter aspergit, apparet varios edi colores in illo aëre asperso, quales in arcu fulgere solent. Huius rei causam in humore esse ne dubitaueris. Non fit enim umquam arcus, nisi nubilo. Sed quæramus quomodo fiat. Quidam aiunt esse aliqua stillicidia, quæ solem transmittant, quædam magis coacta, quàm ut transluceant: B itaque ab illis fulgorem reddi, ab his umbram, & sic vtriusque intercurfu effici arcum; in quo pars fulgeat, quæ solem recipit, pars obscurior sit, quæ excludit, & ex se umbram proximis fecit. Hoc ita esse quidam negant. Poterat enim verum videri, si arcus duos tantum haberet colores, & si ex lumine umbræque constaret.

*Sed nunc diuersi niteant cum mille colores,
Transitus ipse tamen spectantia lumina fallit.*

Vsq; adeo quod tangit idem est, tamen vltima distant.

videmus in eo aliquid flauimæ, aliquid lutei, aliquid cærulei, & alia in picturæ modum subtilibus lineis ducta, ut ait Poëta, ut an dissimiles colores sint, scire non possis, nisi cum primis extrema contuleris. Nam commissura decipit, usque adeo miræ arte naturæ, quod à simillimis coepit, in dissimilia definit. Quid ergo istic duo colores faciunt luminis atque umbræ, cum innumerabilium ratio reddenda sit? Quidam ita existimant arcum fieri, dicunt in eâ parte in quâ pluit, singula stillicidia pluuiæ cadentis, singula specula esse: à singulis ergo imaginem reddi solis. deinde multas imagines, imò innumerabiles, & deuexas, & in præceps transeuntes confundi: itaque & arcum esse multarum imaginum solis confusionem. Hoc sic colligunt. Pelues, inquiunt, mille die sereno pone, & omnes habebunt imaginem solis. in singulis foliis dispone singulas guttas: singulæ habebunt imaginem solis. At contra ingens stagnum non habebit nisi imaginem vnā. Quare, quia omnis circumscripta leuitas & circumdata suis finibus, speculum est. Itaque piscinam ingentis magnitudinis, insertis parietibus diuide: totidem illa habebit imagines solis, quot lacus habuerit. Relinque illam sicut est diffusa: semel tibi imaginem reddet. Nihil refert, quàm exiguus sit humor aut lacus. Si circumseptus est, speculum est. Ergo stillicidia illa infinita, quæ imber cadens defert, totidem specula sunt, totidem solis facies habent. Hæ contra intuenti perturbatæ apparent: nec dispiciuntur interualla, quibus singula distant, spatio prohibente discerni. Deinde pro singulis apparet vna facies turbida ex omnibus. Aristoteles idem iudicat. Ab omni, inquit, læuitate acies radios suos replicat. Nihil autem læuius aquâ & aëre. Ergo etiam ab aëre spisso visus noster in nos redit. Vbi verò hebes & infirma est acies, quolibet aëris ictu deficit. ²¹ Quidam hoc genere valetudinis laborant, ut ipsi sibi videantur occurrere, ut vbi-que imaginem suam cernant. Quare? quia infirma vis oculorum non potest ne proximum quidem sibi aërem perrumpere, sed resistit. Itaque quod in aliis efficit densus aër, in his facit omnis. Satis enim valet qualiscunque, ad imbecillam aciem repellendam: longè autem magis visum nostrum nobis remittit, qui crassior est, & peruinci non potest, sed radios luminum nostrorum moratur, & eò vnde exierint, reflectit. Ergo cum multa stillicidia sint, totidem specula sunt. Sed quia parua sunt, solis colorem sine figurâ exprimunt. Deinde cum in stillicidiis innumerabilibus, & sine interuallo cadentibus, reddatur idem color, incipit facies esse non multarum imaginum intermissarum, sed vnus longæ atque continuæ. Quomodo, inquis, tu mihi multa millia istic imaginum esse dicis, vbi nullam video? Et quare cum solis color vnus sit, imaginum diuersus est?

Vt &

Vt & hæc quæ proposuisti, refellam, & alia quæ non minùs refellenda sunt, illud dicam A
oportet: nihil acie nostrâ fallacius, non tantum in his à quibus subtiliter peruidendis il-
lam colorum diuersitas summuet, sed & in his quoque, quæ ad manum cernit. Remus
integer in tenui aquâ fracti speciem reddit. Poma per vitrum adspicientibus multo ma-
iora sunt. Columnarum interualla porticus longiores iungunt. Ad ipsum solem reuer-
tere: hunc quem toto orbe terrarum maiorem probat ratio, acies nostra sic contraxit, vt
sapientes viri pedalem esse contenderint. Quem velocissimum omnium esse scimus,
nemo nostrum videt moueri: nec ire crederemus, nisi appareret isse. Mundum ipsum
præcipiti velocitate labentem, & ortus occasusque intra momentum temporis reuoluen-
tem, nemo nostrum sentit procedere. Quid ergo miraris, si oculi nostri imbrium stilli-
cidia non separant, ingenti spatio intuentibus minutarum imaginum discrimen interit?
Illud esse dubium nulli potest, quin arcus imago solis sit, roscidâ & cauâ nube concepta.
Quod ex hoc tibi apparet. Numquam non aduersa soli est, sublimis aut humilis, prout
ille se submisit, aut sustulit, contrario motu. Illo enim descendente altior est, alto de- B
pressior. Sæpe talis nubes à latere solis est, nec arcum efficit, quia non ex recto imaginem
trahit. Varietas autem non ob aliam causam fit, quàm quia pars coloris à sole est, pars à
nube illâ: humor autem modò cæruleas lineas, modò virides, modò purpuræ similes,
& luteas aut igneas ducit, duobus coloribus hanc varietatem efficientibus, remisso & in-
tento. Sic enim & purpura eodê conchylio non in vnum modum exit. Interest, quam-
diu macerata sit, crassius medicamentum an aquatius traxerit, sæpius merfa sit & exco-
cta, an semel tincta. Non est ergo mirum, cum duæ res sint, sol & nubes, id est corpus &
speculum, si tam multa genera colorum exprimuntur, quæ in multis generibus possunt
aut incitari, aut relanguescere. Alius enim est color ex igneo lumine, alius ex obtuso &
leniore. In aliis rebus vaga inquisitio est, vbi non habemus quod manu tenere possi-
mus, & latè coniectura mittenda est: hîc apparet duas causas esse arcus, solem, nubem-
que, quia nec sereno vmquam fit, nec ita nubilo, vt sol lateat. Ergo vtrique ex his est, quo-
rum sine altero non est. iv. Iam illud accedit, quod æquè manifestum est, speculi ra- C
tione imaginem reddi, quia numquam nisi è contrario redditur: id est, nisi ex alterâ par-
te steterit quod apparet, ex alterâ quod ostendit. Rationes quæ non persuadent, sed co-
gunt, à geometris adferuntur. Nec dubium cuiquam relinquitur, quin arcus imago so-
lis sit malè expressi, ob vitium figuramque speculi. Nos interim tentemus alias proba-
tiones. Inter argumenta sic nascêris arcus pono, quod celerrimè nascitur: igneum enim
variumque corpus cælo intra momentum subtextitur, & æquè celeriter aboletur. nihil
autem tam citò redditur, quàm à speculo imago. Non enim facit quidquam, sed osten-
dit. Parianus Artemidorus adiicit, & quale genus nubis esse debeat, quod talem solis ima-
ginem reddit. Si speculum, inquit, concauum feceris, quod sit sectæ pilæ pars, si extra
medium constiteris, quicumque iuxta te steterint, vniuersi à te videbuntur, propiores ti-
bi quàm speculo. Idem, inquit, euenit, cum rotundam & cauam nubem intuemur à la-
tere, vt solis imago à nube discedat, priorque nobis sit, & in nos magis conuersa. Color
igitur igneus à sole est, cæruleus à nube: ceteri vtriusque mixturæ. v. Contra hæc D
illa dicuntur. De speculis duæ opiniones sunt: alij enim in his simulacra cerni putant,
id est, corporum nostrorum figuras, à nostris corporibus emissas ac separatas: alij imagi-
nes aiunt non esse in speculo, sed ipsa adspici corpora, retortâ oculorum acie, & in se rur-
sus reflexâ. Nunc nihil ad rem pertinet, quomodo videamus quodcumque videmus:
sed quomodo imago similis debet è speculo reddi. Quidnam est tam dissimile, quàm
sol, & arcus, in quo neque color, neque figura solis, neque magnitudo apparet? Arcus
enim longior ampliorque est, longeque eâ parte, quâ fulget, rubicundior quàm sol; cete-
ris verò coloribus diuersus. Deinde cum velis speculum aëri comparare, des oportet mi-
hi eamdê leuitatem corporis, eamdem æqualitatem, eundem nitorem. Atqui nullæ nu-
bes habent similitudinem speculi. per medias sæpè transimus, nec in illis nos cernimus.
Qui montium summa conscendunt, spectant nubem: nec tamen imaginem suam in
illa cernunt. Singula stillicidia singula specula sunt. Concedo: sed illud nego, ex stilli-
cidiis

A cidiis constare nubem. Habet enim quædam ex quibus fieri stillicidia possunt, non ipsa. Nec aquam quidem habet nubes, sed materiam futuræ aquæ. Concedam etiam tibi & guttas innumerabiles in nubibus esse, & illas faciem reddere: non tamen omnes vnā reddunt, sed singulæ singulas. Deinde inter se specula coniunge: in vnā imaginem non coibunt: sed quæque particula in se rei similitudinem claudet. Sunt quædam specula ex multis minutisque composita: quibus si vnum ostenderis hominem, populus apparet, vnaquæque parte faciem suam exprimente. Hæc cum sint coniuncta & simul collocata, nihilominus seducunt imagines suas, & ex vno turbam efficiunt. Ceterum ceteruam illam non confundunt, sed diremptam in facies singulas distrahunt. arcus vno circumscriptus est ductu: vna totius est facies. Quid ergo? non & aqua, ruptâ fistulâ, sparsa, & ore excussa, habere quiddam simile his quos videmus in arcu, coloribus solet? Verum est: sed non ex hac causâ, ex quâ tu videri vis: quia vnaquæque stilla recipit imaginem solis. Citiùs enim cadunt stillæ, quàm vt concipere imaginem possint. Standum est, vt id quod imitantur, excipiant. Quid ergo fit? Colorem, non imaginem ducunt: alioquin, vt ait Nero Cæsar disertissimè,

Colla Cytheriaca splendent agitata columba:

& variis coloribus pauonum ceruix, quoties aliquò deflectitur, nitet. Numquid ergo dicemus specula eiusmodi plumas, quarum omnis inclinatio in colores novos transit? Non minùs nubes diuersam speculis naturam habent, quàm aues quas retuli, & chamæleontes, & reliqua animalia, quorum color aut ex ipsis mutatur, cum irâ vel cupidine accensa, cutem suam variant humore suffuso, aut positione lucis, quam prout rectam vel obliquam receperint, ita colorantur. Quid enim simile speculis habent nubes: cum illa non perluceant, hæ transmittant lucem? Illa densa & coacta, hæ raræ sint: illa eiusdem materiæ tota, hæ diuersis temerè compositæ, & ob hoc discordes, nec diu cohesuræ? Præterea videmus, ortu solis partem quandam cæli rubere: videmus nubes aliquando ignei coloris. Quid ergo prohibet, quomodo hunc colorem vnum accipiunt solis occurſu, sic multos ab illis trahi, quamuis non habeant speculi potentiam? Modò, inquit, inter argumenta ponebas, semper arcum contra solem excitari, quia nec à speculo quidem imago redderetur, nisi aduerso. Hoc, inquit, commune nobis est. Nam quemadmodum opponendum est speculo id, cuius imaginem in se transferat: sic vt nubes infici possint, ita solis ad hoc opus est radiorum idoneus ictus. Hæc dicuntur ab iis qui videri volunt nubem colorari. Posidonius, & hi qui speculari ratione effici iudicant visum, hoc respondent. Si vllus esset in arcu color, permaneret, & videretur eò manifestiùs, quò propiùs. Nunc imago arcus ex longinquo clara est: interit, cum in vicino est. Huic contradictioni non consentio, cum ipsam sententiam probeo. Quare? dicam. Quia coloratur quidem nubes: sed ita, vt color eius non vndique appareat. Nam ne ipsa quidem vndique apparet. Nubem enim nemo qui in ipsâ est, videt. Quid ergo mirum, si color eius non videtur ab eo, à quo ipsa non visitur? Atqui, quamuis ipsa non videatur, est: ergo & color. Ita non est argumentum falsi coloris: quia idem apparere accedentibus definit. Idem enim in ipsis euenit nubibus: nec ideò falsæ sunt, quia non videntur. Præterea cum dicitur tibi, nubem sole esse suffectam, non dicitur tibi colorem illum immixtum esse velut duro corpori ac stabili & manenti, sed vt fluido & vago, & nihil ampliùs quàm perbreuem speciem recipienti. Sunt etiam quidam colores, qui ex interuallo vim suam ostendunt. ²² Purpuram Tyriam quò melior saturiorque est, eò oportet altiùs teneas, vt fulgorem suum ostendat. Non tamen ideò non habet illa colorem: quia quem optimum habet, non quomodocumque explicetur, ostendit. In eadem sententiâ sum, quâ Posidonius, vt arcum iudicem fieri nube formatâ in modum concaui speculi & rotundi, cui forma sit partis è pilâ sectæ. Hoc probari, nisi geometræ adiuuerint, non potest: qui argumentis nihil dubij relinquentibus docent, solis illam esse effigiem, non similem. Neque enim omnia ad verum specula respondent. Sunt, quæ videre extimescas: tantâ deformitate corruptam faciem visentium reddunt, seruata similitudine in peius. Sunt, quæ cum videris, placere tibi vires tuæ possint: in tantum lacerti crescunt, & to-

tius corporis supra humanam magnitudinem habitus augetur. Sunt, quæ dextras facies A ostendant, sunt quæ sinistras, sunt quæ torqueant vel euertant. Quid ergo mirum est, eiusmodi speculum quo solis species vitiosa reddatur, in nube quoque fieri?

VI. Inter cetera argumenta & hoc erit, quod numquam maior arcus dimidio circulo apparet: & quod eo minor est, quod altior est sol.

Et bibit ingens

Arcus,

ut ait Virgilius noster, cum adueniat imber: sed non easdem, vnde cumque apparuit, minas affert. A meridie ortus magnam vim aquarum vehet. Vinci enim non potuerunt valentissimo sole, tantum est illis virium. Si circa occasum refulsit, rorabit, & leuiter impluet. Si ab ortu circæve surrexit, serena promittit. Quare tamen si imago solis est arcus, longè ipso sole maior apparet? Quia est alicuius speculi natura talis, ut maiora multo quàm videat, ostendat, & in portentosam magnitudinem augeat formas: alicuius inuicem talis est, ut minuat. Illud mihi dic, quare in orbem eat facies, nisi orbi redditur? Dices fortasse, vnde sit ille color varius: vnde talis figura sit, non dices, nisi aliquod ex B exemplar, ad quod formetur, ostenderis. Nullum autem aliud, quàm solis est, à quo fatearis illi colorem dari: sequitur ut detur & forma. Denique inter me & te conuenit, colores illos quibus regio cæli depingitur, à sole esse. Illud vnum inter nos non conuenit: tu dicis illum colorem esse, ego videri. Qui siue est, siue videtur, à sole, tu non expedies, quare subito desinat, cum omnes fulgores paulatim discutiantur. Pro me est & repentina eius facies, & repentinus interitus. Proprium enim est speculi hoc, quod non per partes struitur, quod apparet, sed statim totum fit. Æquè citò omnis imago in illo aboletur, quàm componitur. Nihil enim aliud ad ista efficienda vel remouenda opus est, quàm ostendi & abduci. Non est propria in ista nube substantia, nec corpus; sed inendacium, & sine re similitudo. Vis scire hoc ita esse? Desinet arcus, si obtexeris solem. Oppone, inquam, soli alteram nubem: huius varietas peribit. At maior est aliquanto arcus, quàm sol. Dixi modò, fieri specula, quæ multiplicent omne corpus quod imitantur. Illud adijciam, omnia per aquam videntibus longè esse maiora. Litteræ quamuis C minutæ & obscure, per vitream pilam aquâ plenam maiores clarioresque cernuntur. Poma formosiora quàm sint videntur, si innatant vitro. Sidera ampliora per nubem adspicienti videntur: quia acies nostra in humido labitur, nec apprehendere quod vult, fideliter potest. Quod manifestum fiet, si poculum impleueris aquâ, & in id conieceris annulum. Nam cum in ipso fundo iaceat annulus, facies eius in summo aquæ redditur. Quidquid videtur per humorem, longè amplius vero est. Quid mirum, maiorem reddi imaginem solis, quæ in nube humidâ visitur, cum de causis duabus hoc accidat?

VII. quia in nube est aliquid vitro simile, quod potest perlucere, est aliquid & aquæ: quam si nondum habet, tamen iam apparet eius natura, in quam ex suâ vertatur. Quoniam, inquis, vitri fecisti mentionem, ex hoc ipso contra te argumentum sumam. Virgula solet fieri vitrea, stricta, vel pluribus angulis in modum clauæ torosa: hæc si ex transuerso solem accipit, colorem talem qualis in arcu videri solet, reddit: ut scias hinc non imaginem solis esse, sed coloris imitationem ex repercussu. In hoc argumento multa D sunt pro me. Primum, quod apparet quiddam læue esse debere, simile speculo, quo solem reperiatur: deinde, quod apparet non fieri vllum colorem, sed speciem falsi coloris, qualem (ut dixi) columbarum ceruix & sumit & ponit, vtrumque deflectitur. hoc autem & in speculo est, cuius nullus videtur color, sed simulatio quædam coloris alieni. Vnum tamen hoc soluendum est, quod non visitur in illâ virgulâ solis imago, cuius benè exprimendæ capax non est. Ita conatur quidem reddere imaginem, quia levis est materia, & ad hoc habilis: sed non potest, quia enormiter facta est. Si aptè fabricata foret, totidem redderet soles, quot habuisset insecturas. Quæ quia non discernuntur inter se, non satis in vicem speculi nitent: inchoant tantum imagines, nec exprimunt: & ob ipsam viciniam turbant, & in speciem coloris vnius adducunt. At quare arcus non implet orbem, sed dimidia pars eius videtur, cum plurimum porrigitur, incuruatque? Quidam ita opinantur. Sol cum sit multò altior nubibus, à superiore tantum illas

VIII.

illas

A illas percutit parte. sequitur ut inferior pars earum non tangatur lumine. Ergo cum ab una parte solem accipiant, unam partem eius tantum imitantur, quæ numquam dimidia maior est. Hoc argumentum parum potens est. Quare? quia quamvis sol à superiori parte sit, totam tamen percutit nubem. Ergo & tingit. Quid ni? cum radios transmittere soleat, & omnem densitatem perumpere. Deinde contrariam rem proposito suo dicunt. Nam si superior est sol, & ideo tantum superiori parte nubium affunditur, numquam terrâ tenus descendit arcus. Atqui usque in humum demittitur. Præterea numquam non contra solem est arcus. Nihil ad rem pertinet, supra infrâve sit: quia totum, quod contra est, latus verberatur. Deinde aliquando arcum & occidens facit, cum certè ex inferiore parte nubes ferit, terris propinquus. Atqui & tunc dimidia pars est, quamvis solem nubes ex humili & sordido accipiant. Nostri qui sic in nube, quomodo in speculo, lumen reddi volunt, nubem cauam faciunt, & sectæ pilæ partem: quæ non potest totum orbem reddere, quia ipsa est pars orbis. Proposito accedo, argumento non consentio.

B Nam si in concauo speculo tota facies oppositi orbis exprimitur, & in semiorbe nihil prohibet adspici totam pilam. etiamnum diximus circulos apparere soli lunæque in similitudine arcus circumdatos: quare in illis circulus iungitur, in arcu numquam? Deinde quare semper concauæ nubes solem accipiunt, nec aliquando planæ & tumentes?

²⁴ Aristoteles ait, post autumnale æquinoctium, qualibet horâ diei arcum fieri, æstate non fieri, nisi aut incipiente aut inclinato iam die. Cuius rei causa manifesta est. Primum, quia medio die sol calidissimus nubes euincit: nec potest ab his imaginem suam recipere, quas scindit. At matutino tempore, & vergens ad occasum, minus virium habet: & ideo à nubibus & sustineri & reperi potest. Deinde cum arcum facere non soleat, nisi aduersus his, in quibus facit, nubibus: cum breuiiores dies sunt, semper obliquus est. Itaque qualibet diei parte, etiam cum altissimus est, habet aliquas nubes, quas ex aduerso ferire potest. At temporibus æstiuis supra nostrum verticem fertur. Itaque medio die excelsissimus terras rectiore adspicit lineâ, quàm ut ullis nubibus possit oc-

C curri. Omnes enim tunc sub se habet. Nunc dicendum est de virgis, quas minus pictas variasque, & æquè pluuiarum signa solemus accipere. In quibus non multum operæ consumendum est: quia virgæ nihil aliud quàm imperfecti arcus sunt. Nam facies quidem illis est picta, sed nihil curuati habent. In rectum iacent. Fiunt autem iuxta solem ferè in nube humidâ, & iam se spargente. Itaque idem est in illis qui in arcu color, tantum figura mutatur: quia nubium quoque, in quibus extenduntur, alia est.

Similis varietas in coronis est: sed hoc differunt, quod coronæ ubique fiunt, ubicumque sidus est: arcus non nisi contra solem: virgæ non nisi in viciniâ solis. Possum & hoc modo differentiam omnium reddere. Coronam si diuiseris, arcus erit: si direxeris, virga. In omnibus color multiplex est, ex cæruleo fuluoque varius. Virgæ soli tantum adiacent. Arcus solares lunaresque omnes sunt. Coronæ omnium siderum.

Aliud quoque virgarum genus apparet, cum radij per angusta foramina nubium tenues, intenti distantesque inter se diriguntur: & ipsi signa imbrium sunt. Quomodo nunc in hoc loco geram? Quid eas vocem? imagines solis? Historici soles vocant, & binos ternosque apparuisse memoriæ tradunt. Græci parelia appellant: quia in propinquo ferè à sole visuntur, aut quia accedunt ad aliquam similitudinem solis. Non enim totum imitantur, sed imaginem eius, figuramque. Ceterum nihil habent ardoris, hebetes ac languidi. His quod nomen imponimus? An facio quod Virgilius, qui dubitauit de nomine, deinde id de quo dubitauerat, posuit?

— & quo te nomine dicam,

Rhetica? nec cellis ideo contende Falernis.

Nihil ergo prohibet illas parelia vocari. Sunt autem imagines solis in nube spissâ & viciniâ, in modum speculi. Quidam parelion ita definiunt, Nubes rotunda, & splendida, similisque soli. Sequitur enim illum, nec unquam longius relinquitur, quàm fuit cum apparuerit. Numquis nostrum miratur, si solis effigiem in aliquo fonte, aut placido lacu vidit? Non, ut puto. Atqui tam in sublimi facies eius potest, quàm inter nos,

MM 2

reddi:

- xii. reddi: si modò idonea est materia, quæ reddat. Quoties defectionem so- A
lis volumus deprehendere, ponimus pelues, quas aut oleo aut pice implemus: quia
pinguis humor minùs facile turbatur, & ideò quas recipit imagines, seruat. Appa-
rere autem imagines non possunt, nisi in liquido & immoto. Tunc solemus nota-
re, quemadmodum se luna soli opponat, vt illum tanto maiorem, subiecto corpore
abscondat, modò ex parte, si ita contigit, vt latus occurrerit, modò totum. Hæc di-
citur perfecta defectio, quæ stellas quoque ostendit, & intercipit lucem, tunc scilicet,
cùm vterque orbis sub eodem libramento stetit. Quemadmodum ergo vtriusque ima-
go in terris adspici potest: ita in aëre, cùm sit coactus aër & limpidus constitit, vt faciem
solis acciperet, quam & aliæ nubes accipiunt, sed transmittunt, si aut mobiles sunt, aut
raræ, aut sordidæ. Mobiles enim spargunt illam, raræ emittunt, sordidæ turpesque non
xiii. sentiunt, sicut apud nos imaginem maculosa non reddunt. Solent & bina fieri
parelia, eadem ratione. Quid enim impedit quò minus tot sint, quot nubes fuerunt aptæ
ad exhibendam effigiem solis? Quidam in illâ sententiâ sunt, quotiens duo simulacra B
alia existunt, vt iudicent vnum esse solis, alterum imaginis. Nam apud nos quoque
cùm plura specula disposita sunt ita, vt alteri sit conspectus alterius, omnia implentur, &
vna imago à vero est, ceteræ imaginum effigies sunt. Nihil enim refert quid sit, quod
speculo ostendatur. Quidquid enim videt, reddit. Ita illuc quoque in sublimi, si nubes
fors aliqua disposuit, vt inter se adspiciant, altera nubes solis imaginem, altera imaginis
reddit. Debent autem hæ nubes, quæ hoc præstant, densæ esse, læues, splendidæ, planè
naturæ solis. Ob hoc omnia quæ huiusmodi sunt simulacra, candida sunt, & similia lu-
naribus circulis: quia ex percussu obliquè accepto sole resplendent. Nam si infra solem
nubes fuerit, & propior, ab eo dissipatur: longè autem posita radios non remittit, nec
imaginem efficit. Quia apud nos quoque specula cùm à nobis procul abducta sunt, fa-
ciem non reddunt, quia acies nostra non habet vsque ad nos recursum. Pluuiarum au-
tem & hi soles (vtar enim historicâ linguâ) indicia sunt: vtique si à parte Austri consti-
terunt, vnde maximæ nubes ingrauescunt: cùm vtriusque solem cinxit talis effigies C
xiv. (si Arato credimus) tempestas surgit. Tempus est, alios quoque ignes percur-
rere, quorum diuersæ figuræ sunt. Aliquando emicat stella, aliquando ardores sunt, ali-
quando fixi & hærentes, nonnumquam volubiles. Horum plura genera conspiciuntur.
Sunt enim velut coronâ cingente introrsus ignes. Cæli recessus est similis effossæ in or-
bem speluncæ. Sunt Pithyæ, cùm magnitudo vasti rotundique ignis dolio similis, vel
fertur, vel in vno loco flagrat. Sunt Chasmata, cùm aliquando cæli spatium discedit, &
flammam dehiscens velut in abdito ostentat. Colores quoque horum omnium plu-
rimi sunt. Quidam ruboris acerrimi, quidam euanidæ ac leuis flammæ, quidam can-
didæ lucis, quidam micantes, quidam æqualiter & sine eruptionibus aut radiis fului.
Videmus ergo *Stellarum longos à tergo albescere tractus.*
Hæc velut stellæ exsiliunt & transuolant, videnturque longum ignem porrigere, propter
immesam celeritatem: cùm acies nostra non discernat transitum earum, sed quacum-
que cucurrerunt, id totum igneum credat. Tanta enim est velocitas motus, vt partes D
eius non dispiciantur, sed tantum summa prestantur. Intelligimus magis, quâ appareat
stella, quàm quâ eat. Itaque velut igne continuo totum iter signat: quia visus nostri tar-
ditas non subsequitur momenta currentis, sed videt simul & vnde exsilierit, & quò per-
uenerit. Quod fit in fulmine, longus nobis videtur ignis eius: quia citò spatium suum
transilit, & oculis nostris occurrit vniuersum per quod deiectus est. At ille non est ex-
tenti corporis, per omne quâ venit. Neque tam longa & extenuata in impetum valent.
Quomodo ergo profiliunt? Attritu aëris ignis incensus, vento præceps impellitur: non
semper tamen vento attritūve fit. Nonnumquam ex aliquâ opportunitate aëris nasci-
tur. Multa enim sunt in sublimi sicca, calida, terrena, inter quæ oritur, & pabulum suum
subsequens defluit, ideoque velociter rapitur. At quare color diuersus est? Quia refert,
quale sit id quod incenditur, & quàm vehemens quo incenditur. Ventum autem signi-
ficat eiusmodi lapsus, & quidem ab eâ parte quâ erumpit.

Fulgo-

- A** Fulgores, inquis, quomodo fiunt, quos Græci Sela appellant? Multis, ut aiunt, modis. Potest illos ventorum vis edere, potest superioris cæli feruor. Nam cum latè fufus sit ignis, inferiora aliquando, si sunt idonea accendi, corripit. Potest stellarum motus cursu suo excitare ignem, & in subiecta transnittere. Quid porro? non potest fieri, ut aer vim igneam usque in æthera elidat, ex quâ fulgor ardore sit stellæ, vel similis excursus? Ex his fulgoribus quædam in præceps eunt, similia profilientibus stellis: quædam certo loco permanent, & tantum lucis emittunt, ut fugent tenebras, & diem repræsentent, donec consumpto alimento, primum obscuriora sint, deinde flammæ modo, quæ in se cadit, per assiduam diminutionem redigantur in nihilum. Ex his quædam in nubibus apparent, quædam supra nubes, cum aer spissus ignem, quem propior terris diu pauerat, usque in sidera expressit. Horum aliqua non patiuntur moram, sed transcurrunt aut exstinguuntur subinde quâ reluxerant. Hi fulgores dicuntur: quia brevis facies illorum & caduca est, nec sine iniuriâ decidens: sæpè enim fulminum noxas ediderunt.
- B** his tecta videmus icta, quæ Astrapoplecta Græci vocant. At quibus longior mora & fortior ignis est, motumque cæli sequens, aut qui proprios cursus agunt, Cometas nostri putant: de quibus dicendum est. Horum genera sunt pogoniæ, lampades, & cyparissæ, & alia omnia: quorum ignis in exitu sparsus est. Dubium, an inter hos ponantur trabes, & pithiæ, quæ rarò sunt visæ. Multa enim conglobatione ignium indigent, cum ingens illorum orbis aliquando matutini amplitudinem solis exsuperet. Inter hæc ponas licet, & quod frequenter in historiis legimus, cælum ardere visum: cuius nonnumquam tam sublimis ardor est, ut inter ipsa sidera videatur: nonnumquam tam humilis, ut speciem longinqui incendij præbeat. Sub Tiberio Cæsare cohortes in auxilium Ostiensis coloniae cucurrerunt, tamquam conflagrantis: cum cæli ardor fuisset per magnam partem noctis, parum lucidus, crassi fumidique ignis. De his nemo dubitat quin habeant flammam quam ostendunt: certa illis substantia est. De prioribus quæritur, de arcu dico & coronis, an decipiant aciem, & mēdacio consent: an illis quoque verum sit, quod
- C** apparet. Nobis non placet, in arcu aut coronis subesse aliquid corporis certi. nihil enim iudicamus in speculis, nisi fallaciam esse, nihil aliud quam alienum corpus mētientibus. Non enim est in speculo, quod ostenditur. Alioquin non exiret, nec aliâ protinus imagine obduceretur: nec innumerabiles modò interirent, modò exciperentur formæ. Quid ergo? Simulacra ista sunt, & inanis verorum corporum imitatio: suntque ista à quibusdam ita composita, ut possint detorquere in prauum. Nam (ut dixi) sunt specula, quæ faciem prospicientium obliquent: sunt, quæ in infinitum augeant, & humanum habitum excedant, modumque nostrorum corporum. Hoc loco volo tibi narrare fabellam, ut intelligas, quàm nullum instrumētum irritandæ voluptatis libido contemnat, & ingeniosa sit ad incitandum furorem suum. Hostius quidam fuit obscenitatis usque in scenam productæ. Hunc diuitem avarum festertium millies seruorum diuus Augustus indignū vindictâ iudicauit, cum à seruis occisus esset: & tamen non pronunciauit iure cæsum videri. Non erat ille tantummodo ab vno sexu impurus, sed tam virorum quàm fæminarum auidus fuit. Fecitque specula eius notæ, cuius modò retuli, imagines longè maiores reddentia, in quibus digitus brachij mensuram & longitudinem & crassitudinem excederet. Hæc autem ita disponebat, ut cum virum ipse pateretur, auersus omnes admissarij sui motus in speculo videret, ac deinde falsâ magnitudine ipsius membri tamquam verâ gauderet. In omnibus quidem balneis agebat ille dilectum, & apertâ mensurâ legebat viros: sed nihilominus mendaciis quoque insatiabile malum delectabatur. In nunc, & dic, speculum munditiarum causâ repertum. Fæda dictu sunt, quæ portentum illud lacerandum ore suo dixerit, feceritque, cum illi specula ab omni parte opererentur, ut ipse flagitiorum suorum spectator esset: & quæ secretâ quoque conscientia premuntur, & quæ accusatus quisque fecisse se negat, non in os tantum, sed in oculos suos ingereret. At hercules scelera conspectum suum reformidant. In perditis quoque, & ad omne dedecus expositis, tenerrima est oculorum verecundia. Ille autem, quasi parum esset inaudita & incognita pati, oculos suos ad illa aduocauit: nec quantum peccabat

cabat videre contentus, specula sibi per quæ flagitia sua diuideret, disponderetque, circumdedit: & quia non tam diligenter intueri poterat, cum compressus erat, & caput merferat, inguinibusque alienis obhæserat, opus sibi suum per imagines offerebat. Speculabatur illam libidinē oris sui, spectabat sibi admissos pariter in omnia viros. Nonnumquam inter marem & fæminam distributus, & toto corpore patientiæ expositus, spectabat nefanda. Quidnam homo impurus reliquit, quod in tenebris faceret? Non pertinuit diem, sed ipsos concubitus portentosos sibi ipse ostēdit, sibi ipse approbavit. Quid? non putas, eo ipso habitu voluisse pingi? Est aliqua etiam prostitutis modestia: & illa corpora, publico obiecta ludibrio, aliquid, quo infelix patientia lateat, obtundunt: adeo quodam modo lupanar quoque verecundum est. At illud monstrum obscenitatem suam, spectaculum fecerat, & ea sibi ostentabat, quibus abscondendis nulla satis alta nox est. Simul, inquit, & virum & fæminam patior: nihilominus illā quoque superuacua mihi parte, alicuius contumeliā marem exerceo. Omnia membra stupris occupata sunt. Oculi quoque in partem libidinis veniant, & testes eius exactoresque sint. Etiam ea quæ ab adspectu corporis nostri positio submouit, arte visantur, ne quis me putet nescire, quid faciam. Nihil egit natura, quod humanæ libidini ministeria tam maligna dedit, quod aliorum animalium concubitus melius instruxit. Inueniam, quemadmodum morbo meo imponam & satisfaciam. Quò nequitiam meam, si ad naturæ modum pecco? Id genus speculorum circumponam mihi, quod incredibilem imaginum magnitudinem reddat. Si liceret mihi, ad verum ista perducerem: quia non licet, mendacio pascar. Obscenitas mea, plus quam capit, videat, & patientiam suam ipsa miretur. Facinus indignum. Hic fortasse citò, & antequam hæc videret, occisus est. Ad speculum suum immolandus fuit. B

xvii. Derideantur nunc philosophi, quod de speculi naturā differant, quod inquirent, quid ita facies nostra nobis, & quidem in nos obuersa redditur. Quid sibi rerum natura voluit, quod cum vera corpora dedisset, etiam simulacra eorum adspici voluit. Quorsus pertinuerit, hanc comparare materiam, excipiendarum imaginum potentem. Non in hoc scilicet, ut ad speculum barbam faciemque vellere-
mus, aut ut faciem viri poliremus. In nullā re illa negotium luxuriæ concessit: sed primum omnium, quia imbecilli oculi ad sustinendum cominus solem, ignoraturi erant formam eius, hebetato illum lumine ostendit. Quamuis enim eum orientem occidentemque contemplari liceat: tamen habitum eius, ipsum qui verus est, non rubentis, sed candidā luce fulgentis, nesciremus, nisi in aliquo nobis humore læuior & adspici faciliior occurreret. Præterea duorum siderum occursum, quo interpolari dies solet, non videremus, nec scire possemus, quid esset, nisi liberius humi solis lunæque imagines videremus. Inuenta sunt specula, ut homo ipse se nosceret. Multa ex hoc consecuta, primò sui notitia, deinde & ad quædam consilium. Formosus, ut vitaret infamiam: deformis, ut sciret redimendum esse virtutibus, quidquid corpori deesset: iuuenis, ut flore ætatis admoneretur, illud tempus esse discendi, & fortia audendi: senex, ut indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret. Ad hoc rerum natura facultatem nobis dedit, nosmetipsos videndi. Fons cuique perlucidus aut læue saxum imaginem reddit. D

— Nuper me in littore vidi,

Cum placidum ventis staret mare.

Qualem fuisse cultum putas ad hoc speculum se comentium? Ætas illa simplicior, & fortuitis contenta, nondum in vitium beneficium detorquebat, nec inuentum naturæ in libidinem luxumque rapiebat. Primò faciem suam cuique casus ostendit: deinde cum insitus sui mortalibus amor, dulcem adspectum formæ suæ faceret, sapius ea despexere, in quibus prius effigies suas viderant. Postquam deterior populus ipsas subiit terras, effossurus obruenda, ferrum primò in usu fuit, & id homines impune eruerant, si solum eruisent. Tunc demum alia terræ mala, quorum læuitas aliud agentibus speciem suam obtulit, quam hic in poculo, ille in ære ad alios usus comparato vidit. & mox proprius huic ministerio præparatus est orbis: nondum argenti nitor, sed fragilis vilisque materia. Tunc quoque cum antiqui illi viri inconditè viuerent, satis nitidi, si squalorem opere

A opere collectum aduerso flumine eluerent, cura comere capillum fuit, ac prominentem barbam depectere: & in hac re quisque sibi, alterique operam dabat inuicem. Coniugum quidem manu crinis ille, quem effundere olim mos viris fuit, attrectabatur: sed illum sibi sine ullo artifice formosi quatiebant, non aliter quam iubam generosa animalia. Postea rerum iam potiente luxuria, specula totis paria corporibus auro argentoque cælata sunt, denique gemmis adornata: & pluri vnum ex his fæminæ constitit, quam antiquarum dos fuit illa, quæ publicè dabatur imperatorum pauperum filiabus. An tu existimas, ex auro nitidum habuisse Scipionis filias speculum, cum illis dos fuisset æs graue? O paupertas felix, quæ tanto titulo locum fecit. Non fecisset illis Senatus dotem, si habuissent. At quisquis ille fuit, cui soceri loco senatus fuit, intellexit se accepisse dotem, quam fas non esset reddere. Iam libertinorum virgunculis in vnum speculum non sufficit illa dos, quam dedit senatus pro Scipione. Processit enim immodestiùs, paulatim opibus ipsis inuitata luxuria: & incrementum ingens vitia acceperunt. Adeoque omnia **B** indiscreta sunt peruersissimis artibus, vt quidquid mundus muliebris vocabatur, farcinæ viriles sint: minus dico, etiam militares. Iam speculum ornatus tantum causâ adhibitum, nulli non vitio necessarium factum est.

M. ANTONII MURETI

AD PRIMVM E LIBRIS

SENECÆ NATURALIVM

C QVÆSTIONVM, NOTÆ.

I LIBRI, maximam partem, sumpti sunt ex Aristotelis Meteorologicis: quod è singulis partibus magis intelligitur. Hoc autem præmio tractatur quæstio multis contentionibus agitata apud veteres: cum duæ partes sint Philosophia, una quæ ad cognitionem ac contemplationem refertur, quam Græci theoreticen; altera quæ ad actionem, quam idem practicen vocant: vtra alteri anteponenda sit. Et Seneca quidem theoreticen, vt pulchriorem ac diuiniorem, antepont: quæ eadem sententia est, cum aliorum, tum Aristotelis libro decimo ad Nicomachum, & septimo Politicorum: qui etiam non obscure idem confirmat libro sexto Ethicorum, vbi sapientiam prudentiâ superiorem facit. Et certè cum prudentia referatur ad agendum; omnis autem actio ad finem aliquem dirigatur: at cognitio expetatur ipsa per se, neque aliò respiciat: ne dubitari quidem videtur posse, quin maius quiddam & sublimius sit cognitio. Imò verò, si quis vim verbi accuratiùs inspiciat, ea demùm verè ac propriè philosophia est. Nam cum sapientes propriè vocemus eos, qui sublimia quadam & à vulgi capitu remota intelligunt: quomodo Anaxagoram, Democritum, Thalem Milesium sapientes nominauit antiquitas: cerè qui ad ea perquirenda omni studio incumbunt, quæ qui tenent sapientes habentur, ij propriè dicendi sunt Philosophari. Et quod Aristoteles ait, admirationem hominibus causam ac principium philosophandi fuisse, ad hanc partem philosophiæ manifestò refertur. Admirari

enim homines tum certos ac definitos siderum cursus, tum ea quæ in sublimi fierent, tum statas tempestatum anni varietates, aliq, eiusmodi, causas quæ quidque eorum efficerent, curiosè perquirere ac peruestigare ceperunt. Ea origo philosophiæ fuit. Magnum tamen earum rerum tractatio contemptum, magnam etiam inuidiam in vulgus philosophis comparauit. Nam & meteoroleschæ eos vocabant, id est, de sublimibus rebus nugantes: & Thaletem à vetulâ irrisum ferunt, cum in siderum contemplatione defixus in foueam decidisset: & de toto genere illud à Pacunio dictum est:

Quod ante pedes est, nemo spectat: cæli scrutantur plagas.

& parum religiosos esse opinabantur, qui tam curiosè atque anxie rimarentur ea, quæ dii hominibus teçta atque abdita esse voluissent. Itaque Socrates vsus notissimo dicto, quæ supra nos essent, nihil ad nos attingere, philosophiam à rebus occultis, & à naturâ ipsâ inuolutis, vt ait Varro apud Ciceronem, auocauit, & ad vitam communem adduxit, vt de virtutibus ac vitis, omninoque de bonis rebus & malis quæreret. Qui etiam dictitabat, vno Homérico versu summam totius philosophiæ contineri:

Ὅτι τοι ἐν μέσσοισι κακὸν τ' ἀγαθὸν τε τέτυκται.
Omnes autem illas quæstiones, quomodo imbres, grandines, tonitrua fierent, stultas & inutiles esse dicebat, vt apertè constat è libro primo Commentariorum Xenophontis. Ex quo facile intelligitur omnia illa quæ impudenter & malitiosè Aristophanes in *Nebulis*

bulis aduersus Socratem deblaterauit, non falsa modo, sed à Socratis ingenio ac moribus alienissima fuisse. Nos, his omisiss, Senecam, ut instituiamus excutiamus, & ut macula, quas ei aliorum negligentia adpersit, per nos aliquà ex parte eluantur, operam demus.

AD LIBRI PRIMI PRÆFATIONEM.

1. QVÆ VNIVERSI MATERIA SIT.] Vna omnium materia est à parente omnium Deo ex nihilo condita.

2. QVIS AVCTOR AVT CVSTOS.] Idem & auctor & custos Deus.

3. QVID SIT DEVS.] Hoc maius est, quàm ut ab homine aut quari debeat, aut percipi possit.

4. TOTVS IN SE INTENDAT, AN AD NOS ALIQVANDO RESPICIAT.] Et perpetuà sui cognitione fruatur, & humana respicit, ut qui propter hominem alia condiderit omnia.

5. FACIAT QVOTIDIE ALIQVID, AN SEMEL FECERIT.] Quæ semel fecit, semper conseruat: quod ipsum genus quoddam perpetuæ productionis est.

6. PARS MVNDI SIT, AN MVNDVS.] Neutrum. neque enim opifex opus suum, aut operis sui pars est.

7. LICEAT ILLI HODIEQVE.] Licet Deo quidquid libet. Ipse autem non mutatur: sed perpetuò idem est: etsi nobis interdum, propter imbecillitatem nostram, mutari videtur.

8. AN VT CIBOS ET POTIONES PERCOLAREM?] Hæc est quam charadrij vitam vocat Plato in Gorgia. ubi vetus scholion habet charadrium esse aniculam, cuius adpectu sanentur arguati: eius autem esse naturæ, ut simul cibum & sumat & egerat.

AD CAP. I. 9. AVDI QVID DE IGNIBVS.] Idem argumentum tractatur ab Aristotele libro primo Meteorologicon.

10. ARISTOTELES QVODDAM GENVS ILLO RVN CAPRAM VOCAT.] Ita loquitur, quasi Aristoteles illius appellationis auctor fuerit. Quod tamen verum non est, sed vulgò ita vocabantur: quod ostendunt illa philosophi verba, καὶ οἱ καλοῦντο οὐκ ὡς τῶν δαδῶν καὶ αἰγῶν. Causam autem cur capra vocentur, hanc esse aiunt, quod in caprarum morem quasi barbulae quasdam pendentes habeant.

11. MAIORE IMPETV PVLSE FVLMINA.] Voces aliquot quæ hic accreuerant, & sententiam corrumpabant, veteris libri nixus auctoritate deleui.

12. QVÆDAM ARGENTIA.] Vetus liber, alentia. ex quo fecerant, calentia. Ego argentia malui. Ut enim humidis sicca, sic argentia idoneis ad concipiendos ignes opponuntur. ἀπὸ τῆς ἀναθυμιάσεως Aristoteles vocat: illam potestate aquam, hanc potestate ignem.

13. POLLVCIS ET CASTORIS NVMINE.] Celebrata ab omnibus poetis & mythologis fabula. Vide Plinium lib. II. cap. XXXVII.

14. NAM SERENO QVOQVE CÆLO ALIQVANDO TONAT.] Neque

tonat tantum: sed & fulmen deicitur. Cicero: A

Aut cum terribili percussus fulmine ciuis, Luce serenanti vitalia lumina liquit.

Quæ ipsa de re ita Iulius Obsequens: Sereno Varguenteius Pombius de cælo exanimatus. Fortassis autem apud Senecam quoque vox cælo delenda sit. At Plinius hunc ipsum M. Herennium decurionem ex Pompeiano municipio vocat.

15. CLYPEI.] Plinius: Clypeus ardens ab occasu ad ortum scintillans transcurrit solis occasu, L. Valerio, C. Mario Cos. Narratur & idem ab Obsequente.

AD CAP. II. DIXIT de capris, trabibus, facibus, ceterisque eiusmodi fulgoribus. Nunc exponit quemadmodum area siue corona fiat. Videndus Aristoteles capite tertio libri tertij Meteorologicon. B

16. QVO DIE DIVVS AVGVSTVS.] Plinius cap. XXVIII. lib. II. Obsequens cap. CXXVIII.

17. NONNVQMAM PAVLLATIM DILVN TVR ET DESINVT, NONNVQMAM AB ALI QVA PARTE RVMPVNTVR.] Illud Aristoteles vocat παραίνεσθαι, hoc διαπαύεσθαι: qui etiam eadem, quæ hic Seneca, & ob easdem causas significari docet.

18. ET TVNC AQVAM EXSPECTA.] Non erant in libris veteribus: eorum deleui. Addita videntur ab aliquo, ex Aristotelis sententiâ: qui ita scribit: Ἐὰν μὲν γὰρ μήτε καταμαρῶνθῃ, μήτε διαπαύσθῃ, ἀλλ' ἐὰν τὴν φύσιν ἀπολαμβάνειν ἑαυτῆς, ὅδ' αὐτοῦ ἐκόντως σημαῖον ἐστίν.

AD CAP. III. ABSOLVTA tractatione area, trabis, facum, & similium, ordinem Aristotelis secutus, de arcu siue iride disputare incipit. in cuius causâ reddendâ Aristoteles est. C

19. AT CONTRA ARCVS IN NOCTE NON FIT, NISI ADMODVM RARO.] Veteres quidem cum noctu numquam fieri opinabantur: sed raritas eis causâ errandi fuit. Aristoteles: Καὶ μετ' ἡμέραν μὲν ἰεὶς γίγνεται, νύκτωρ δὲ ἀπὸ σελήνης, ὥς μὲν οἱ ἀρχαῖοι φόντο, οὐκ ἐγίγνεται. τῆτο δὲ ἐπαθόν δια τὸ πᾶνιον. ἐλάνθανε γὰρ αὐτοῦς. γίγνεται μὲν γὰρ ὁ λυγὰς δὲ γίγνεται. Addit id fieri tantum plenilunio: atque ita raro, ut ipse totis quinquaginta annis bis tantum id notauerit.

20. RIDICVLIS.] Alij tendiculis. Ego veteri libro fidem habui. Est autem ridicula nomen immutatum à ridica. D

21. QVIDAM HOC GENERE VALETVDINIS LABORANT.] Aristoteles: Οἷον ποτε συνέβαινε τι νύκταος, ἡρέμα καὶ οὐκ ὄξυ βλέποντι. αἰετὶ δὲ εἰδωλον ἐδόκει θεωρεῖσθαι βαδίζοντι αὐτῷ, ἐξ ἐναντίας βλέποντος αὐτόν. τῆτο δὲ ἐπαχε διὰ τὸ τὴν ὄψιν ἀνακλᾶσθαι πρὸς αὐτόν. εἶτω γὰρ ἀόχνης ἦν καὶ λεωτὴ πᾶμωσαν ὑπὸ τῆς ἀπρῶς τας, ὥς ἐνοπῶν γίγνεται καὶ ὁ πλεσίον ἀπρ, καὶ οὐκ ἦν ὁ ἄτο ἀποθεῖν. Sunt qui hunc Antipheronem fuisse dicant, hominem mota mentis, de quo quiddam legitur etiam in libro de memoriâ. Mihi hoc satis exploratum non est.

AD CAP. V. 22. PURPURAM TYRIAM.] Huc referendum est illud dictum Augusti, quod his verbis à Macrobio exponitur: Cum de Tyria purpurâ, quam emi iusserat, obscuritate quereretur: dicente

A dicente venditore, Erige altius & suspice: his usus est salibus: Quid ergo? ut me populus R. dicat benè cultum, in solario ambulaturus sum?

AD CAP. VI. 23. ET BIBIT INGENS ARCUS.] *Hinc urbanissimè dictum est à Palinuro Plautino, qui anum, senio incuruam, bibentem videret:*

— Ecce autem bibit arcus: pluet, Credo, hercle hodie.

AD CAP. VIII. 24. ARISTOTELES AIT, POST AUTUMNALE ÆQVINOCTIVM.] *Vide Aristotelem capite v. libri III. Meteorologicôn.*

AD CAP. XIII. 25. SI ARATO CREDIMVS.] *Arati hac de re versus hi sunt:*

Οὐ γὰρ τ' ἀμφοτέρωθεν ὁμᾶ περὶ μέσων ἔχουσιν
Ἡ ἑλίου κείναι νεφέλαι, ἧ δὲ δὴν ὠκεανοῦ
Γίγνεται ἀμβολίη, δίοθεν χειμῶνος ἰόντος.

L. ANNÆI SENE CÆ

B

AD LVCILIVM

NATURALIVM QVÆSTIONVM

LIBER SECVNDVS.



C

C MNIS de vniuerso quæstio in cælestia, sublimia, & terrena diuiditur. Prima pars naturam siderum scrutatur, & magnitudinem, & formam ignium quibus mundus includitur: ¹ solidum ne sit cælum, ac firmæ concretæque materiæ, an ex subtili tenuique nexum: agatur, an agat: & infra se sidera habeat, an in contextu sui fixa: quemadmodum sol anni vices feruet: an retrò flectat: cetera deinceps his similia. Secunda pars tractat inter cælum terramque versantia. Hæc sunt nubila, imbres, niues, & humanas motura tonitrua mentes: quæcumque aër facit, patiturve. Hæc sublimia dicimus, quia editiora imis sunt. Tertia illa pars de agris, terris, arbutis, satis quærit, & (ut Iurisperitorum verbo utar) de omnibus quæ solo continentur. Quomodo, inquis, de terrarum motu quæstionem eo posuisti loco, quo de tonitruis fulgoribusque dicturus? Quia cum motus terræ fiat spiritu, spiritus autem sit aër agitato, & si subeat terras, non ibi spectandus est: cogitetur in eâ sede in quâ illum natura disposuit. Dicam, quod magis videbitur mirum: inter cælestia & de terrâ dicendum erit. Quare? inquis. quia cum propria terræ excutimus suo loco, vtrum lata sit & inæqualis, & enormiter proiecta, an tota in formam pilæ spectet, & in orbem partes suas agat, alliget aquas, an aquis alligetur ipsa: animal sit an iners corpus, & sine sensu, plenum quidem spiritus, sed alieni, & cetera huiusmodi quotiens in manus venerint, terram sequentur, & in imis collocabuntur. At vbi quæretur, quis terræ sit situs, quâ parte mundi subsederit, quomodo aduersus sidera cælumque posita sit, hæc quæstio cedit superioribus, & (ut ita dicam) meliorem conditionem sequitur.

Quoniam dixi de partibus, in quas omnis rerum naturæ materia diuiditur, quædam in commune sunt dicenda, & hoc primùm præsumendum, inter ea corpora, à quibus vnitas est, aëra esse. Quid sit hoc & quare præcipiendum fuerit, scies, si paullò altius repetiero, & dixerò ² aliquid esse continuum, aliquid commissum. Continuatio est partium inter se non intermissa coniunctio. Vnitas est sine commissurâ continuatio, & duorum inter se coniunctorum corporum tactus. Numquid dubium est, quin ex his corporibus quæ videmus tractamusque, quæ aut sentiuntur aut sentiunt, quædam sint composita? Illa constant aut nexu, aut aceruatione: ut puta funis, frumentum, nauis. Rursus non composita: ut arbor, lapis. Ergo concedas oportet, ex his quoque quæ sensum

CAP. I.

II.